



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.51. Synodus Antissiodorensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI.
A. C. 585.

ta religiose observabat, quod elapso exi-
de biennio hac nata occasione patuit
Dum Guntramus Cabilloni Festum S.
Marcelli celebrans ad Altare procedi-
communicaturus; ecce vir omnibus igno-
tus Regis lateri se admovet, tanquam
alloquium petens, sed ei dum adstan-
tium ulnis pulsatur, sica e manu excidit.
Statim proximi in turbatum manus inji-
ciunt, & altera sica armatum deprehen-
dunt. Ex Ecclesia deinde abreptus in tor-
mentis confessus est, missum se fuisse, ut
Regem confoderet, & credidisse, per-
petrando facinori aptiorem Ecclesia lo-
cum non esse, quod ubique extra eam
corporis Custodes Regem circumdarent.
Inde colligimus, a Regibus in Ecclesia
morantibus satellites abfuisse. Conju-
rationis conscii pœnam morte dederunt,
at Sicario Rex, quia in Ecclesia compre-
hensus fuerat, vitæ gratiam fecit.

§. LI.

Synodus Antissiodorensis.

Aunacarius Episcopus Antissiodorensis
congregata Synodo Diœcesana edi-
dit Canones, Decretis Concilii Matisco-
nensis, cui interfuit, consentaneos; un-
de credendum, ipsum voluisse in eo Con-
cilio salubriter statuta executioni dare.
Universim leguntur Canones quadragin-
ta quin-

ta quinque, quos inter mihi memoratu digniores visi sunt sequentes. Varii generis Superstitiones vetantur, nempe ignorantia Paganorum reliquia; quales sunt, primam Januarii diem celebrare, sub specie vaccæ vel cervi personatum incedere, & strenas dare. Permittitur quidem mutua dona offerre, sed non inde omen captare. Prohibetur, ne quis rubis, arboribus, aut fontibus vota faciat, & reddat. Nemo pedes ligneos, aut totius hominis simulacrum fabricet, in via publica collocandum. Fideles in domos privatas ad celebrandas Festorum Vigiliis non conveniant, sed in Ecclesiis vigilandum & vota solvenda; illuc eleemosynam conferant, inter pauperes Matriculæ aut Catalogo Ecclesiæ insertos distribuendam. Speciatim prohibetur, ne in honorem S. Martini vigilent; sine dubio ideo, quia ista pietas in abusum degenerabat. Non liceat Magos, aut Fatidicos consulere, nec auguriis, nec sortibus in ligno aut pane mittendis, aut vulgo dictæ sorti Sanctorum fidem adhibere. Non liceat in Ecclesia saltare, nec permittere ut in ea puellæ canant, aut ibi convivia adornare. Mortuis nec Evangelistia, nec osculum pacis detur. Eorum corpora Altaris velamento non involvantur. Nemo in Baptisterio sepeliatur. Non unus defunctus super alterum

Sæculum VI.
A.C. 585.

to. 5. Conc.
p. 956.
can. 1.

c. 3.
V. Coimt.an.
586. n. 8.

c. 5.
c. 4.

c. 12.
c. 14.
c. 15.

Hist. Eccles. Tom. VIII.

L rum

Sæculum VI. rum ponatur, id est, si prioris sepulti
A.C. 585. corpus necdum fuerit consumtum.

Conc. Matis.
II. c. 17. Non liceat Die Dominica boves ve-
Synod. Ant. huculis jungere, aut quocunque modo
c. 18. laborare. Nemo baptizetur extra tem-
c. 11. pus Paschale, nisi illi, qui in periculo
Canon. Con- mortis existunt. Parvuli non extra Dice-
cilii Antissio- cesin portentur, ut ibi baptizentur. Non
dorensis. liceat quidquam edere aut bibere media
nocte in Vigilia Paschæ, Nativitatis Do-
mini, aut aliorum Fæstorum solemnium,
sed expectetur saltem hora secunda ma-
c. 8. tutina. Non liceat super Altare ponere
vinum melle dulcoratum, aut quemcun-
que potum alium, nisi vinum aqua mix-
c. 10. tum. Nec una die duas Missas in eodem
Altari legere, præsertim si Presbyter post
Episcopum legat. Inde dispicimus, illa
ætate necdum magnum Missarum, quæ
una die legebantur, numerum fuisse.
c. 36. 42. Fœminæ Evcharistiam nuda manu non
c. 6. excipiant, sed unaquæque habeat linteum
(illud tunc temporis Dominicale diceba-
tur) Presbyteri Chrisma media Quadra-
gesima petant. Omnes Presbyteri in me-
dio Mensis Maji, & Abbates omnes pri-
ma Nov. ad Synodum veniant. Item Pres-
c. 7. byteri ante Epiphaniam in Diem primam
c. 2. Quadragesimæ sollicitè inquirent, ut in
illo Fæsto initium jejunii populo denun-
ciare possint. Non liceat Presbytero-
rum, Diaconorum, aut Subdiaconorum
viduis

viduis alteri nubere. Præceptum Con-
 cillii Matisconensis ad viduas omnium
 Clericorum extendebatur. Non liceat
 Clericis, dum rei torquentur, quæstio-
 ni adesse, aut dum capitis sententia pro-
 nunciatur, nec in Judicio sanguinis Acto-
 res sint. In conviviis non cantent, nec
 saltent. Abbates aut Monachi in Baptismi
 collatione non sint Patrini.

Archipresbyteris Presbyteros, & et-
 iam Laicos corripendi potestas sit. Huic
 Synodo Antissiodorensi cum Episcopo
 Aunacario interfuere Abbates septem,
 Presbyteri triginta quatuor, & Diaconi
 tres, qui absentium Presbyterorum no-
 mine subscripserunt. Petiit Episcopus,
 ut hæc statuta a Rege Guntramo confir-
 marentur.

Idem Episcopus ordinem constituit
 Supplicationibus publicis, quas duci o-
 portebat aliqua singulorum Mensium die
 in omnibus suæ Diocesis Parochiis; pri-
 ma autem Parochia habebatur Civitas
 Antissiodorensis, cui die prima proceden-
 dum erat. Secunda die Mensis supplica-
 bant Appondienses, tum etiam cæteræ
 Parochiæ, quælibet vice sua. Præterea
 indicavit urbis Antissiodorensis Ecclesias,
 ubi Supplicationes terminarentur. Pri-
 ma die Januarii procedebant conprecan-
 tes ad Ecclesiam S. Germani, prima Fe-
 bruarii ad Sancti Amatrii, prima Martii

L 2

ad S.

Sæculum VI.
 A. C. 585.

c. 22.

c. 33.

c. 34.

c. 41. 40.

c. 25.

c. 20, 44.

*Hist. Episc
 Antis. c. 29.*

Sæculum VI. ad S. Mariani, & aliis diebus ad alias
A. C. 585. Ecclesias. Id quoque Aunacarii cura ef-
 fectum, ut certis viris injungeretur mu-
 nus in Ecclesia Cathedrali S. Stephani
 singulis per Septimanam noctibus Vigi-
 lias celebrandi; unde cognoscimus, di-
 versas Clericorum & Monachorum Con-
 gregationes alternis vicibus hoc officio
 fuisse defunctos; at de die Sabbati nul-
 la mentio.

§. LII.

Pretextati Cædes.

Greg. VIII. Interim Regina Fredegunda muliebri
hist. c. 31. pertinacia persuasum habebat, Pre-
 textato Episcopo atrociorum inimicum
 sibi non esse, utpote Reginae Brunehil-
 dis amicum. Cum Rothomagi versaretur,
 ei aliquando inclementius locuta
 minas quoque adjecit, se ipsum secundo
 in Exilium ejectionem. Episcopus virili
 constantia foeminae respondit, increpuit
 ob tot admitta crimina, & severum Dei
 Judicium timere jussit. Sequenti die Do-
 minica in Ecclesiam mature se contulit,
 atque inchoato officio consedit in Solio.
 Tunc vero pessimum Fredegundæ man-
 cipium proxime accedens educto e cin-
 gulo pugione Episcopum ferit infra axil-
 lam. Exclamat Pretextatus, ut Clerici
 ad auxilium procurrerent, sed nemo se
 movit. Tum manus cruentatas Altari
 impo-